



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Fides an sola ante omnia opera iustificet & saluet. tit. 34

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

tenerē, sicut fecit ante Christi mortem. Nam vt dicit Paulus 1. Cor. 12. Cū gentes essetis, prout ducebamini, iuistis ad simulacra. Spiritus sanctus assistit Spiritui nostro, & adiuuat infirmitatem nostram, Rom. octauo, & de illa etiam dicit Apostolus 2. Corinth. 3. Vbi Spiritus Domini est, ibi libertas à Sathana: ne illum ad voluntatem impugnet, aut à fide Christi retrahat, sicut libenter vellet, sed ei fortiter resistat. & nisi hæc libertas esset, nemo posset permanere in fide. Postremò est libertas à cæremonijs legis Moysis, id est, circumcissione, generibus quibusdam ciborum, loco quorum quosdam alios nunc habemus ritus & cæremonias Euangelicas plenas fructibus, vt Sacramenta, de quibus Paulus loquitur Galat. quinto, Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit, & cæt. Huiusmodi sunt libertates Spiritus, quibus gaudent serui Dei. Sed alia libertas, quæ est, nolle obedire præceptis Ecclesiæ ac prælatorum, contemnere omnia, illa carnis est, quam prohibent Apostoli & cæt. & per hanc libertatem faciunt iam schismatici prædicatores, populum adedò lasciuum & insolentem, vt vae illos maneat & c.

FIDES AN SOLA ANTE

omnia opera iustificet & saluet.

TITVLVS XXXIIII.

Postremò, (dicūt secte) ante omnia accedentem ad Deum oportet credere, Hebræ 11. Peccator igitur cupiens remissionē peccatorum, quandò credit Christum pro se passum & mortuum, & quòd pro se satisfecit & suis peccatis Christus. Hæc fides sola ante omnia opera impetrat remissionem, & quòd sit filius Dei & hæres salutis æternæ. Sic enim per fidem saluus & iustus est ante omnia opera. Nam hæc fides

Sola facit proprium & participem omnium merito-
rum Christi, propter quod ego sum iustus & saluus
ante omnia mea opera. Exemplum: quandò malefa-
ctor esset captiuus, qui deberet occidi, & veniret a-
lius, qui pro illo subire mortem non dubitaret, tunc
ille captiuus esset liber atque exemptus. Sic Christus
fecit se pro nobis in cruce suspendi & affigi, quo sa-
tisfaceret pro debitis nostris, quod nos non potuimus
facere operibus nostris. Etiam dicit scriptura Roma.
4. Christus pro nobis passus est. Gal. 3. Liberauit nos
de maledicto, factus pro nobis maledictum: & 2. Cor.
5. Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis fecit
peccatum, ut nos iusti essemus coram eo &c. Hæc o-
mnia nesciunt Papistæ, quòd gratis ante omnia ope-
ra per fidem solam sumus iusti & salui.

Verùm hac similitudine multi decepti sunt, & à
pijs operibus auocati, & hæc est caput doctrinæ mun-
danæ, quæ iam in mundo regnat, & cum iubilo au-
ditur, sed in fundamento falsa & deceptorum, & pri-
mò, si hoc sufficeret credere, Christus redemit me,
tunc nullus possit damnari, eò quòd Christus passus
est pro toto mundo, sicut 1. Ioan. 2. dicit: Ipse est pro-
pitiatio pro peccatis totius mundi.

Secundò si quæretur, quòd non sit futurum iudi-
cium. Nam de quo debet Deus sententiam dicere &
iudicare, cum satisfactum sit per Christum, omniaq;
per eundem sint persoluta, & ego solummodò debeo
credere? & sic erit falsus articulus fidei, Qui venturus
est iudicare viuos & mortuos, Lu. 21. Sic non erit in-
fernus &c. quæ omnia per scripturam probantur. Ideò
periculosum est coram simplicibus sic sine distinc-
tione loqui.

Pro quo est notandum, triplicem esse formam lo-
quendi de fide. Primò enim fides significat quasi da-
re fidem, eamque polliceri: Secundò, seruare & libe-
rare fidem. Tertio, præmium pro præstita fide appre-
hendere

hendere ex gratia. Primò, Exempli gratia, seruus volens Domino seruire, accedit cum, & promittit se probum & fidelem futurum in suo seruitio, & hac stipulatione conducit eius operam Dominus. Subindè oportet vt nunc verba sequantur effectus & opus, id est, labor & diligentia in seruitio. Nam si hæc non sequerentur, inanis esset promissio serui & conductio Domini.

Postremò, quandò seruus metam temporis seruitutis suæ attigerit, seruitiumque placitum Domino præstiterit, tunc sequitur merces à Domino promissa: sed si non expediuit suum obsequium, sicut Domino promissit, non accipiet mercedem suam. Sed quis nunc dicit, Ecce hic seruus fidem Domino suo dedit ad inseruiendum, sufficit sibi promissio fidei quæ Domino dedit, non requiratur ab eo posthac, vt quequam subeat laboris & oneris, atq; hoc modo pactam consequetur cum hero mercedem.

Sic etiam est cum fide nostra: Peccator accedit primò ad Deum, credit in illum, quòd sit remunerator omnium sibi seruentium, Hebræor. ii. baptizatus promittit fidem Christo, abrenunciat Sathanæ, & Deus illum propter fidem in Christum acceptat, & datur ei instructio, quomodò in Christianismo viuat per prædicationem Euangelij. Iste est primus gradus, & dicitur peccator credere. Subindè post talem acceptationem peccatoris mittitur in vineam Domini, Matthæi 20. Nam non debet stare tota die ociosus, & solum velle credere, sed diligenter velle operari & seruare præcepta Domini, Exo. 20. Fides promissa primò, nunc in opere debet præstari & operari per dilectionem, Gala. quinto, ac ceteris virtutibus, sic quòd fides nunc est præstatio officij, quo declaramus fidem, & hanc præstationē officij in fide vult Christus habere. dicit enim Ioan. tertio, Nisi quis renatus fuerit &cæt. Et Lucæ nono: Qui vult me sequi, ab-

qui, abneget semetipsum. Et 1. Corint. 9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo &c. Et 1. Corin. 4. hoc requiritur in patrefamilias, vt fidelis sit & omni die suum officium faciat. Sic vbique admonet Paulus, vt fideliter exequamur vocationem nostram. E. phes. 4. Obsecro vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis cum omni humilitate & mansuetudine, &cæt. Sic ad Col. 1. Non cessamus pro vobis orantes vt impleamus &c. Ad Philip. tertio, Imitatores mei estote, sicut filij charissimi. Multi enim ambulant &cæt. & Iudas in sua canonica conqueritur, quòd quidam homines subintroierunt, transferentes gloriam Christi in luxuriam &c. Summa, tota scriptura & Euangelium nos admonet vt præcipit nedùm vt credamus, id est, ore dicamus, Credo in Christum &c. sed etiam quòd præstemus opere fidem, & officio probemus. Ideò sic docere, credere in solum, & hæc fides ante omnia opera te iustificat & saluat, est falsum & erroneum.

Fides ante opera, est solùm acceptatio vel receptio hominis ad fidem. At illa nihil est, si non opus fidei sequitur. Hæc fides non solùm consistit in ore, verbis & cogitationibus, sed in præstatione officij per totam vitam. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, inquit Christus, intrabit in regnum patris, sed qui facit eius voluntatem. Mat. 7. Quando ergo quis operatus fuerit, & officio suo præstiterit ea, quæ ad fidem datam propriè pertinent, hic dicitur seruus fidelis. Seruus autem sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit plagis multis, Lucæ 12.

Postremò, sequitur nunc post præstationem & liberationem fidei remuneratio Domini, & illa fiducia est certa & firma, sicut Paul. dicit 2. ad Tim. vltimo. Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruauim, ideò reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Sed iam mundus priùs cupit mercedem ante laborem, quia do-

quia docet, quòd fides ante omnia opera iustificet & saluet. Vult habere remissionem peccatorum ante pœnitentiam, quia sola fides ante omnia opera iustificat, &c. Sed Christus dicit Marc. primo: Pœnitementi & credite Euangelio.

Primo loco ponit, Pœnitementi &c. Et Christus Mat. 23. inquit: Venite, possidete regnum patris mei, &c, quia esuriui, & dedistis mihi manducare. Ergò fides est præstatio operis, ad datam fidem pertinentis.

At dices: Hoc est homines trahere ad opera, vt per præstationem fidei, id est, per opera cœlum mereantur, sed sola & nuda fides iustificat & saluat. Respondeo: Christus docet nos Luc. 17. quòd cum omnia fecerimus, adhuc nos reputari seruos inutiles, adhuc est gratia, & gratis donatur nobis beneficium Christi. Nam non sunt condignæ passionis huius temporis. Roman. octauo: Catholici gratis adhuc sciunt sibi contingi promissiones, cum opera iam fecerint. At sectæ sic gratis volût omnia habere sine facto operum, & sic opera sunt media, & non merita.

Subindè hæc verba, Nuda fides, Sola fides, ignorat scriptura, & est inuentum sectariorum. Catholica Ecclesia quoties de fide loquitur, non excludit charitatem & opera: & quoties de operibus loquitur, nō excludit fidem. Ideò quòd sectæ diuidunt fidem à dilectionis operibus, hoc faciunt sine scriptura, & car. Ideò non sunt audiendi. Ex prædictis liquet, quàm sit deceptorie dictum, Fides sola & nuda ante omnia opera iustificat & saluat: differunt hæc, credulitas, & fides, & fiducia: Primum est acceptatio ad fidem: Alterum, præstatio fidei: Tertium, fiduciæ remuneratio.

PAVLVS QUOMODO DO-
cuerit fidem Christi.

TITVLVS XXXV.

li 5

Primò